

## INDEX

- ædificarunt.  
 Cap. iii. fo. 452. a  
 Sanabellat & Tobias muro-  
 rum edificatione prohibet.  
 Cap. v. fo. 454. a  
 Populo fame laboranti vnu-  
 ras prohibet Nehemias.  
 Cap. vi. fo. 455. b  
 Rursus impeditur edificatio.  
 Cap. vii. fo. 457. a  
 Extracto muro applicantur  
 custodes per Nehemiam.  
 Numeratur populus.  
 Cap. viii. fo. 458. a  
 Populu cōsolatur Nehemias.  
 Festum tabernaculorum.  
 Cap. ix. fo. 459. b  
 Populus uxores alienigenas  
 abiicit.  
 Misericordia & beneficia  
 Dei in populum.  
 Percutit fœd' cū deo popul'.  
 Cap. x. fo. 463. a  
 Signatores fœderis.  
 Quid populus i fœdere Deo  
 promiserit.  
 Cap. xi. fo. 465. a  
 Qui instaurata Ierusalē ha-  
 bitauerunt in ea.  
 Cap. xii. fo. 466. a  
 Numeratur sacerdotes & Le-  
 uitæ, qui cum Zorobabel  
 venerunt Ierusalem.  
 Cap. xiii. fo. 468. b  
 Separantur alienigenæ.  
 Sabbati trāgressores repre-  
 henduntur, & alienigenas  
 accipientes in uxores.
- Libri Esther cap. i. f. 471. 2  
 Affuerus in cōuiuio potētiā  
 & gloriam suam ostentat.  
 Vashti regina recusat venire  
 ad eum.  
 Cap. ii. fo. 472. b  
 Esther cum cæteris seruatur  
 puellis in domo regis.  
 Esther regina efficitur.  
 Cap. iii. fo. 473. a  
 Aman exaltatū a rege Mar-  
 docheus non adorat.  
 Aman Iudaorūm interitum  
 imperat ab affluero.  
 Cap. iv. fo. 476. a  
 Mardocheus suadet Esther ut  
 regē a populo deprecetur.  
 Esther iubet pro se orari.  
 Cap. v. fo. 477. a  
 Esther iuitat regē ad cōuiuū  
 Cap. vi. fo. cod. b  
 Mardocheus honorari iubet  
 rex, quem ipse Aman ho-  
 norat tristis.  
 Cap. vii. fo. 478. a  
 Esther pro Iudeis orat.  
 Aman suspenditur.  
 Cap. viii. fo. 479. a  
 Bona Aman traduntur regi-  
 nae Esther.  
 Præcipit Iudeis rex ut suos  
 inimicos interficiant.  
 Cap. ix. fo. 480. a  
 Iudei inimicos suos interfici-  
 ciunt.  
 Decē filii Aman interficiunt.  
 Dies celebris instituitur in  
 memoriam.

FINIS INDICIS.

## THOMAE DE VIO CAIE- TANI CARDINALIS SANCTI XY-

*Et in libros historiales veteris testamenti, Commentarij.*

*Et primum in Librum Iehosuæ.*



T F V I T. Tria me mo-  
 uēt post expositos libros  
 Mosis ad scribendum su-  
 per libros historiales ve-  
 teris testamenti. primum  
 difficultas rei gestæ, vel  
 quia obscurè traditur, vel  
 quia secus interpretes eā  
 reddiderunt. secundū rati-  
 onē tum verborum tū fa-  
 etorum quæ ambigua vi-  
 dentur, virorum præser-  
 tim sanctorum: tertium imbecillitas multitudinis legētū  
 studiose sacram scripturā, vt quæ illis minus clara sunt, ma-  
 nifesta fiant, post mortem Mosis serui domini. Quanuis in lite-  
 ra non scribatur quanto tempore post mortem Mosis, sub-  
 iuncta tamē recte collata insinuant hoc fuisse post com-  
 pletum luctum mortis Mosis: hoc est septima die mēsis pri-  
 mi, ut inferius manifestabitur. *dixit Dominus ad Iehosuam filium Nun ministrum Mosis dicendo. Nomen tetragrammaton*  
*habet ubi legitur dominus, ut fons effendi Deus deorum*  
*allocutus significetur Iehosuam principem populi Israel.*  
*Modus quo Deus allocutus est Iehosuam intelligentus est*  
*modus ille quo Deus alloquitur prophetas, qui magnā ha-  
 bet latitudinem: multa enim genera reuelandi comprehe-  
 dit. Subiuncta autem verba dicta à Deo, insinuat quod lo-  
 cutio ista fuerit nocturna, vigilando tamen: in ecstasi enim*  
*quadam oranti Iehosuæ locutus est Deus. Mortuus est Moses*  
*seruus meu. Hoc est epitheton Mosis, quo Deus ipse testatur*  
*placuisse sibi officia Mosis appellādo ipsum seruum suum:*  
*immō dicēdo Mōses seruus meus mortuus est, aperit quod*  
*mortuus est seruus suus: hoc est quod licet quādoque pec-  
 cauerit, & peccando non fuerit seruus meus, attamen mot-*

A tuus

## IEHOSVÆ

tuus est seruus meus , mortuus est in statu seruitutis meæ ,  
mortuus est sic q̄ quidquid erat, quicquid operabatur meū  
erat. seruus enim totū quod est domini est. surge. Iuxta He-  
bræum habetur. Et nūc surge transi Iordanem istum tu & omnis  
populus hic in terram quam do filiis Israēl. Dicēdo nunc, mani-  
festat tempus supradictum: videlicet tridiū ante transitum  
Iordanis, qui fuit decima die mensis primi: vt inferius cap.  
4. dicitur. Et quia nō dicit experrectus surge, sed absolute  
dicit surge, vigilante insinuat Iehosuā, à quiete ad motum  
versus Iordanē inuitās. Ex hoc autē quod dicitur, trāsi Ior-  
danem istū collato cū subiunctis verbis & factis, olligitur  
quod Deus reuelauit Iehosuæ tū tēpus, tū modū transiēdi  
Iordanē. & de tēpore quidē manifestē testatur executio Ie-  
hosuæ subiuncta statim: de modo autē testatur etiā executio  
Iehosuæ in tertio scripta cap. absq; aliqua alia reuelatione  
diuina. alienū siquidē à ratione est vt Iehosuā statim vt ad  
ripā venit Iordanis modū trāseundi Iordanē tam mirabilē  
publicauerit, nisi certior redditus futuri miraculi ex diuina  
reuelatione. Omnē locū in quo calcancrit plāta pedi vestri, vobis  
dedi: sicut locū sum ad Mosem. Intellige omnē locū infra ter-  
minos subscriptos. nō enim Deus omnē locū absolūte cal-  
cādū pede Iudæorū, sed omnē locū ab eis calcādūm infra  
subiunctos terminos dixerat Mosi se daturū filiis Israēl. A de-  
serto & libano isto vsq; ad fluvium magnū fluvium Euphratem, omnis  
terra Chitōrum vsq; ad mare magnū ab occasu solis erit terminus  
vester. Nullus poterit vobis resistere. Parui refert q̄ iuxta Hebr.  
habetur. Nō stabit quisq; ante te omnibus diebus via tua. pro-  
missio enim fit ipsi Iehosuæ duci. sicut fui cū Mose ero tecum.  
Non dicit quantū fui, sed sicut fui, & rursus non dicit sicut  
feci Mosi, sed sicut fui: ad insinuandū q̄ eodē modo futu-  
rus erat assistendo miraculis opportunitis & protectione &  
pugna quēadmodū fuerat cū Mose, nō autē quod parē eum  
facturus esset Mosi. non dimittā te, nec derelinquam te. Præpo-  
sterō ordine legēdū césent. nec sunt hęc synonyma: sed al-  
terū significat retentionē, alterū associationē. promittit si-  
quidē Deus & q̄ velut comes indiuiduus non derelinquet  
eū: & q̄ tāquā retinēs deuinctū eū sibi Deo nō dimittet eū  
sibiipſi Iehosuā. Quod intellige faciēte Iehosuā quod in se  
est. quod ideo oportet subintelligere, quia vt inferius scri-  
bitur

## CAPVT I.

2

bitur ex defectu Iehosuæ Dc⁹ dimisit ipsum sibiipſi in fœ-  
dere Ghibonitarum, quia os domini non consuluit.

Cōfortare & esto robustus: tu enim forte diuides populo huic ter-  
ram pro qua iurani patribus corū vt traderē illis. Confortare igitur  
& esto robustus valde. Bis dixit Deus ad Iehosuā huiusmodi  
verba: semel relatiū ad actiones corporales, ad victoriā &  
distribuenđū subactā terrā filiis Israēl: iterum autē relatiū  
ad custodiā & obseruationē legis præceptę à Mose. Et hac  
secunda vice adiunguntur duæ dictiones. nā Hebraicē habe-  
tur. Tantū cōforta te & robora te valde ad custodiēdū & faciēdū  
iuxta omnē regēm quā præcepit tibi Moses seruus meus. Ac si aper-  
tius dixisset: hoc dūtaxat à te exigitur vt erga obseruationē  
legis Mosis inualeſcas vniuerso conatu, & robores magna-  
nimitate te ipsum nō mediocriter sed valde. ne declines ab ea  
ad dexteram & ad sinistrā vt intelligas in omnibus ad que iueris.  
Ecce fructus obseruationis legis donūm intelligētia in o-  
mnibus ad quā ibis. Non recedat liber legis huius ab ore tuo, sed  
meditaberis in eo die ac nocte vt custodias ad faciēdū iuxta omnē  
quod scriptum est in eo: tunc diriges viam tuam & intelliges eam.  
Iuxta Hebræum habetur. quia tunc secundabis vias tuas, &  
tunc intelliges. Duci exercitus mādat Deus vt libro legis sit  
assiduus tum in sermonibus tum in meditationibus, nō ad  
differendū sed ad faciēndū quę sunt legis: manifestando  
duos fructus, alterum prosperitatis exterioris alterum in-  
telligentiae internae. Ecce præcipio tibi. Iuxta Hebræū habe-  
tur. Non præcepi tibi cōforta te & robora te. Ratio redditur  
credendi & sperandi promissōs fructus ex efficacia præci-  
pientis Dei. ad huiusmodi enim efficaciam insinuandam  
dicit Deus, nōne præcepi tibi? ac si apertius dixisset: lēgitā-  
dum non est de secundis successibus ex hoc ipso quod ego  
Deus præcepi. Noli metuere & noli timere iuxta Hebræū ha-  
betur. ne frangaris & ne terrearis. Hebræo more quod pluris  
est præponitur. quia valde arduos successus promittebat  
Deus, fragilitatē propriam pésantē Iehosuā tertio cōfortat  
& accēdit, prēmonendo ne ab externis terreatur nec ab in-  
teriora fragilitate frāgatur animus. quoniā te: n̄ est domin⁹ deus  
tus in omnibus ad que iueris. Ratio redditur diuina assistētia  
sufficiēs & potētissima ad oīā tā internā q̄ externa. Quod  
autē dicitur dñs Deus tu⁹, Hebr. habetur. Ichonah Elohe tu⁹:  
A ii Et simi-

## IEHOSVÆ

Et similiter intellige in vniuerso hoc opere: & nisi aliud dixerimus, appellatione domini intellige semper nomen tetragrammaton.

**P**recipitque Iehosua principibus populi dicens: transite per medium castrorum & precipite populo dicendo. Ecce executio diuini mandati. & si contuleris obedientiam Iehosuæ cum verbis diuini præcepti & nunc surge, transi Iordanem istum, perpendes idem esse tempus: hoc est eodem die imperatum à Deo fuisse & nūc surge quo Iehosua surrexit ad præcipiendū præfectis populi ut prepararetur populus ad transeundum Iordanem: alioquin nō surrexisset. Cunc iuxta mādatum Dei. *preparare vobis cibaria.* Non est setno de pane (quoniam ex quotidiano māna panem cōficiabant) sed de reliquis alimentis. quoniam post diem terium transibitis iordanem. Clarius Hebraicē habetur. quia in adhuc tres dies vos transiunt Iarden, ut intretis ad hāreditādum terram quam Dominus Deus vester dat vobis ad hāreditandum eam. Hinc clare habentur duo. alterum quod hoc mādatum factum est septima die mensis primi: quoniam decima die eiusdem mēsis transierunt Iordanem: decimus enim dies fuit terminus extrinsecus trium dierum inchoando à die septimo. Alterum quod mane septimi diei mensis primi promulgatum est hoc mandatum, ac per hoc diuina reuelatio eodem die circa aurorā facta videtur: alioquin non fluxissent tres dies ab hac promulgatione usque ad transitum Iordanis, quos tamen fluxuros significatur dicēdo, quia in adhuc tres dies sunt & vos eritis trāfentes Iordanem. Hęc sunt enim quae collata cum suprascriptis testātur quae prædictimus: & manifestant tempus transeundi Iordanem fuisse reuelatum Iehosuæ.

**R**euebenit quoq; & Gaditas & dimidiae tribū Menasīs ait Iehosua dicendo: Memento sermonis quem precepit vobis Moses seruus domini dicendo: dominus Deus vester requiesceret vos fecit deitatem vobis terrā hanc. Recole ex libro Num. cap. 32. Reubenitas, Gaditas & dimidiā tribū Menasīs fortitas fuisse habitationes suas viuente Mose: & propterea non erant simul cum reliquo populo, sed sparſi in ciuitatibus suis: ob quam causam oportuit Iehosuam vocare illos ut seruarent promissa scripta vbi supra quae subiunguntur summarie.

Vxores

## CAPVT II.

3

Vxores vestre parvulū vestri & iumenta vestra manebunt in terra quam dedit vobis Moses trans Iarden: vos autem transibitis armati ante fratres vestros omnes potentes manu & adiuuabitis eos: donec quiesceret faciat dominus fratres vestros sicut vos, & possideant eam ipsi terram quam dominus Deus vester dat vobis & resurremini ad terram possessionis vestre, & possidebitis eam quam dedit vobis Moses seruus domini trans Iarden ad ortum solis. Responderuntq; ad Iehosuam dicendo: omnia quae præcepisti nobis faciemus & quoq;que misericibimus. Sicut obedientiimus in cunctis Mosis obedientiis tibi, tantum sit dominus Deus tuus tecum sicut fuit cum Mose. Senus est ex parte nostra nō deerit obedire: hoc dūtaxat exigitur, vt fons effendi gubernator tuus sit tecum quemadmodum fuit cum Mose. Qui contradixerit ori tuo & non obedierit verbis tuis in omnibus quae præcepisti ei, moriatur: tātum conforta te & robora te. Expone hoc, ut in præcedēti tex- tu, est enim sensus quod executioni mādabitur punitio inobedientium tibi, dummodo tu ex parte tua inualefas, & robores te ipsum magnanimitate.

## CAPVT II.

**I**s iste igitur. Iuxta Hebreū habetur. Et misit Iehosua filius Nun de Sittim duos viros exploratores. Considera prudens lector, disparitatem, nā promulgatio præparationis ad transitum Iordanis descripta est, quo ad tempus (videlicet triduum ante transitum) nec est descripta quo ad locum: missio vero exploratorū describitur quo ad locū (videlicet de Sittim in quo erant castra Israel) nec describitur quo ad tempus. Veruntamen ex subiunctis insinuatur tum locus promulgatæ præparationis, tum tempus quando missi sunt exploratores: ex eo enim quod vna tantum nocte fuit populus super ripā Iordanis (vt Hebraica veritas manifestat in capitulo tertio) habetur quod in loco Sittim fuit promulgata preparatio ad transitū Iordanis, & ibidē requisiti Reubenites & gadites: & similiter ex eo q; exploratores plusquam tres dies consumperunt (nam tribus diebus latitarunt in montanis) patet missos eos fuisse priusquam promulgaretur præparatio populi. Quot autem diebus fuerint prius missi, incertum est: quanvis certum sit, quod fuerunt prius missi. At si queraris cur præpostero ordine hæc scripta sint, in pro-

A iii ptu

## IEHOSVÆ

ptu causa est: missio siquidem exploratorum processit à Iehosua humano consilio, promulgatio autem præparationis processit ex diuina reuelatione: par autem fuit ut liber gestorum Iehosuæ initium à diuina dispositione haberet, & quod humano fuerat consilio factum subiungeretur. Nec propterea intelligas peccasse Iehosuam mittendo exploratores: cum actus iste non sit contra vel præter rectam rationem, & ad ascendendum magis animos populi sciens exteritos Chananæos hoc fecisse credēdus est. *In abscondito dicens.* Non est vsquequaq; clarū an missio hæc scribatur clandestina relatiuè ad populum Israël vel relatiuè ad "indumenta & exteriora signa exploratorū": vtrūque enim potest intelligi, ite considerate terram urbemque Iericho. Iuxta Hebræū habetur. & Iericho. Quod ideo annotauerim ut intelligamus duo fuisse exploratoribus mandata: alterū considerare terram, alterū cōsiderare Iericho. Et quantum subiuncta relatio exploratorum insinuat, mandatum est istis ut viderent terram Chananæam in genere, & Iericho in specie. nam retulerunt de vniuersa terra & non solum de Iericho.

*Qui pergentes ingrediuntur sunt. Iuxta Hebræum habetur, & iuerunt & ingressi sunt. Quod ideo annotauerim, ut ex diuertitate orationum libertatem habeamus intelligēdi quod exploratores iuerūt absq; impedimento aliquo per terrā Chananāa vsquequo venerūt Iericho & ingressi sunt domū mulieris meretricis nomine Rachab. Non est clarum an mulier hæc scribatur meretrix an capona. Hebraica siquidē dictio an caps dicitur & argumēta vtrinque sunt. nā q; fuerit capona officiū eius testatur: q; autē fuerit meretrix, frequēs huius dictiōis vsus apud Hebr. insinuat. Siue autē fuerit meretrix siue nō, viduā fuisse apparet ex eo q; nulla sit mariti mētio & puellā virginē exercere officiū caponae dedecet: præsertim cū ipsa describatur domina domus & habēs patrem, matrē, fratres ac sorores in ciuitate. & qui euerunt apud eam. Iuxta Hebræū habetur. & dormierunt (seu potius iaceuerunt) ibi. Hinc habetur quod nocte illa quietē dormierūt in domo Rachab: & relatio facta regi Iericho fuit nō illa prima nocte sed sequenti vespere. Nunciationeque est regi Iericho dicēdo: ecce viri venerūt huc nocte de filiis Israel ut explorerent terrā. Vndiq; manifestatur quod vespertina hora venerūt exploratores*

## CAPVT II.

4

*vatores in Iericho. Misitq; rex Iericho ad Rachab dicens: educ viros qui venerunt ad te & ingressi sunt domum tuam, quia ad explorandum totam terram venerunt.*

Tulitq; mulier duos viros & abscondit eos, & ait: certe venerūt ad me viros sed nesciabant unde essent. Et fuit dum porta clauderetur in tenebris viros exierunt, nec scio quo erunt. De porta ciuitatis est sermo: & in principio noctis eos receperit antequā porta clauderetur, mentita est mulier mendacio officioso.

Et hinc clare appetet quod nocte & die exploratores fuerunt in Iericho absque molestia. ex eo enim quod nocturno tempore venerant & in domo mulieris dormierāt, & vt rem credibilem mulier dixit quod recesserunt antequāquam porta clauderetur, consequens est quod non de eadē qua venerāt nocte est sermo, cū dicit eos egressos in tenebris antequā porta clauderetur: sed cū toto die lustrarent ciuitatē, & redissent vespere ad domū Rachab, nūciatū est regi ab iis qui perspicacius inspexerūt eos in die q; exploratores sunt. Persequimini citid, & cōprehēdetis eos. Arguta exhortatio ad repellendū eos, ne inquirent & scrutarētur dominū, an ibi laterēt. *Ipsa autem fecit ascendere viros in solariū domus sue, operitq; eos stipula lini, que ibi erat. Prius descripsit factum absconsionis, & postea describit modum eiusdem: videlicet q; super tectū domus sub culmis lini expāsi, absconditi fuerint. Li autem qui misi fuerant, secuti sunt eos per viam, que ducit ad vada Iardē: illisq; egressis, statim porta clausa est. Ciuitatis porta per quam egressi sunt inquisidores exploratorum describitur clausa egressis illis, ad significādum quod non patebat exitus exploratoribus per portam ciuitatis.*

Necdum abdormierant qui latebant. Lunge hanc negatiuam cū affirmatiua prænarrata, videlicet quod dormierunt ibi: & perpendes quod secunda nocte est sermo in hac negatiua, & de prima in illa affirmatiua, eadem enim dictio habetur hīc & ibi. Et ecce mulier ascendit ad eos. Deficit super tectū, plana siquidē sunt tecta domorū regionis illius, quēadmodū paucimēta sub diuo. Et ait cis, noui quod tradidisti nobis dominus terrā: etenim irruit in nos terror vester, & elongaverūt eos habitatores terrā, à facie vestra. Audiuimus enim quod siccauerit dominus aquas maris rubri, à facie vestra cū exiretis ex Aegyp. et que feceritis duob⁹ regib⁹ Emoreorū qui erāt trās iardē.

A iiiij

Si-

## IEHOSVÆ

Sichon & Hog quos interemisisti. Et hæc audiætes pertimus. et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus à facie vestra: dominus enim Deus vester est Deus in cælo sursum & in terra deorsum. Vide in muliere ista non solum timorem sed fidem ac manifestam confessionem quod Iehouah qui est Elohe Israël, ipse est Elohim in cælo & terra: & propterea non est mirum si seruata est: quam enim Deus illuminauit intus & effecit seruaticem electorum suorum, seruauit quoque à clade Iericho. Et nunc iurare quæso mihi per dominum quia feci vobiscum misericordiam, quod faciet etiam vos cum domo patris mei misericordiam. Legendum est utroque gratiam: est enim illa dictio quæ quanuis cōmuniciter interpretetur misericordia, secundum tamen veritatem Hebraicam diligenter perspectat significat gratiam: eò quod nō est nomen passionis animi, sed collationis sine merito quæ latine gratiam dicimus. *et isque mihi verum signum.* Parui refert quod hebraicè habetur. & dabit mihi signum veritatis. Iuramentum appellat mulier signum veritatis. ac si apertius dixisset: iurate mihi per Iehouah tali modo ut sit signum future veritatis. Et dixit hoc ad excludendum cauillationes iuratum dum in timore & necessitate sunt constituti. Et salutibus patrem meum & matrem meam, & fratres meos & sorores meas, & omnia que corū sunt: & eripietis animas nostras à morte. Qui responderunt ei, anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos. Iuxta hebræum habetur, si non prodideritis verbum nostrum hoc. Per modum fœderis iurant isti. & quia nesciebant adhuc se mittendos per fenestram, carente cōmunicata notitia occultationis eorum parti & matri, fratribus & sororibus mulieris manifestentur: ideo sub pecto ponūt, si non prodideritis rem nostrā hanc. quinque tradidérunt nobis dominus terram, faciemus tecum misericordiam. Legendum est. *gratiam & veritatem.* Repetitur enim supradicta dictio. & gratiam appellant beneficium vitæ veritatem autem fidelitatem seruando promissa.

Demisisti eos per funem de fenestra: dominus enim eius habebat mero. Dixistiq; ad eos, ad montem pergit ne occurrant vobis in sequentes: ibique latitate tribus diebus donec redeant, & posca ibitis per viam vestram. Ratio numeri fuit, quia rationabile erat, ut inquisidores discurrendo scrutarentur vias omnes ad Iordanem:

## CAPVT II.

nem; ac per hoc triduo opus esset ad eundū, scrutandum & redeundum. Qui dixerunt ad eam: innoxij erimus à iuramento tuo hoc quonos iurare fecisti. Supplent tria tacita in fœdere. primum est signum funis alligandi in fenestra illa: secundum congregatio consanguineorum in domum illam: tertium occultatio emissioneis eorum in montana. Et hæc omnia valde consona erant pacto: ut patet consideranti. Si ingredientibus nobis terram signum non fuerit funiculus iste coccineus, & nisi ligaueris cum in fenestra per quam nos dimisisti: & patrem tuū ac matrem fratrisque & omnem cognitionem tuam congregaueris in domum tuam. Verbum præteriti temporis, demisisti nos, quæstionem parit: quia si iam descenderant de fenestra, non erat commodum neque tutum colloquium, ne à viciniis audirentur. Et confirmatur hoc: quia post hæc verba subiungit litera, quod mulier demisit eos: antequam ergo descenderent dicta videntur hæc verba: sed in opositum vrgit verbum præteriti temporis, per quam descendere fecisti nos. Solutio est quod quia medium sapit naturam extremitorum, induit quandoque modo rationem vnius extremi & modo alterius: & propterea utrumque contrarioruverificat: sicut fuscum modo induit rationē albi modo nigri, & quod est utriusque verificat. In hac itaque historia negotium demissionis erat in medio: ita quod alter iam descendat, alter tūc erat descendens: & ille descendens hæc verba dixit nomine sui & socii. Sic enim verificantur omnia absque aliqua dissonantia: nam relative ad retentionē verificantur descendere fecisti nos: & relative ad integrum libertatem verificantur quod post hæc verba demisit eos. Quis ostium domus tuae egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius et nos erimus innoxij: cum eorum autem sanguis qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum si quis eos tetigerit. Si autem nos prodere volueris, & sermonem istum proferre in medium. Non tot habentur iuxta Hebræū: sed habetur. Et si prodideris verbum nostrum hoc, videlicet quod nos latitamus in montibus, erimus mundi ab hoc iuramento tuo, quo nos iurare fecisti. Timent enim mulieris instabilitatem: & propterea silentii curam in ea augere nituntur. Et illa respondit, sicut locuti estis ita fiat: dimittensque eos, ut pergerent appendit funiculum coccineum in fenestra. Quanvis antiquus interpres simul dimissionem exploratorum

## IEHOSVAE

ploratorum & appensione funiculi significauerit, hebraica tamen litera simulatem non significat: quoniam multis orationibus has actiones describit dicendo. & dimisit eos & abierunt: & ligauit filum coccinum in fenestra. ex his enim verbis non habetur quando appendit funiculum illum in fenestra: sed duntaxat quod ligauit illū ibi. quod post multos dies fieri potuit & decuit: sed hoc in loco scribitur ad terminandam narrationem gestorum à muliere.

Illi verò ambulantes peruererunt ad montem, & manserūt ibi tres dies donec reuertentur qui fuerant infecuti: quarentes enim per omnē viam non inuenirent eos. quibus urbem ingessū. Superfluent ista tres dictiones. Reuersi sunt & descendērunt exploratores de mōte. Legendum est. Et reuersi sunt ab eo viri & descendedērunt de monte. Reuersio manifestat quod ad remotiora loca iuerant, vt omnino tuti essent ab inquisitoribus. & transierunt, reuertentes ad Iehosuam filium Nun: & narrauerunt ei omnia qua acciderant ei. Ex hoc p̄ nulla sit méto pontificis, nulla mentio seniorum, coniectur quod Iehosua nescientibus aliis misit hos viros: & similiter quod clā defina fuit relatio. Dixeruntq; ad Iehosuam quod tradidit dominus in manus nostras omnem terram hanc. Superfluit, hanc. Hæc relatio exploratorum insinuat quod lustrauerant non solum Iericho sed alias terras Chananęorum. Signū autem vnde cognouerint futuram victoriā subiungunt timorem illarum gentium tam vehemētem vt tanquam dissolutis animis sint, & etiam timore dissoluti sunt cuncti habitatores eius. Legendum est. Habitatores terræ à facie nostra. Misérat enim deus timorem vehemētem in Chananęos relativè ad præsentiam populi Israël.

## CAPVT III.

 Gitur Iehosua de nocte cōsurgens mouit castra. Luxta hebræum habet. Et surrexit Iehosua mane. Nō dicitur mane immediatè sequenti(nescitur enim cert⁹ dies quo reuersi sunt exploratores) sed author libri reddit ad prolequendā historiā executionis diuini mādati. Narrauerat enim quod de⁹ præcepit Iehosua, vt tunc surgeret & trāsiret Iordanē. narrauerat & inchoatā executionē quo ad duo; & quo ad vocationē Rebenitarū &c. & quo ad monitionē populi, vt præpararet se ad trāscendū post tridū Iordanē. Narrat modò cōsequēter quod

## CAPVT III.

6

q; postq; populus præparat⁹ est, surrexit Iehosua: proculdu biō à strato & quiete sua mane. Et intelligo fuisse mane non diei mēsis primi, vt duos dies ad præparandū alimēta ad colligēdum res suas, disponēdūq; omnia ad iter habuerit: eodē enim die venerūt de Sittim ad Iordanē vt subiūgitur. Egregiētq; de Sittim venerūt ad Iardē ipse & oēs filii Israēl: & morati sunt ibi pertres dies. Iuxta hebreū habetur: & dormierūt ibi antequā transirēt. Et fuit à fine triū dierū, transierunt p̄fecti p̄ mediū castrorū. Vide quantē diuerſitatis sensuū cauſa est īterpr̄atio iuxta intelligētiā interpretis. Nō dicitur in hebr. litera, q; morati fuerint in Iordanē dies tres: sed insinuatur oppositū, dicēdo & dormierūt ibi antequā transirēt. Si tri- duo ibidē fuissent, ridi culū esset scribere q; dormierūt ibi antequā transirent. nūquid ad excludendū tres dies insomnes licuit scribere, & dormierūt ibi antequā transirēt? Hęc absurditas manifesta declarat q; ad significandū illos non statī vt appulerūt trāſisse, sed vnicā noctē ibidē pegisse, hęc verba scripta sunt. Descripta aut̄ mora vnius noctis iuxta Iordanē ante trāſitū, descriptiū verificatū fuisse tps p̄mulga tū à Iehosua in Sittī, adhinc tres dies & transibitis Iordanē.

Dicēdo & fuit, h̄c siat p̄ctus. phrasis est hebraica dicere absolute et fuit, vel et erit: et postea subiūgere rē p̄teritā vel futurā. Vnde & h̄c subdit actio præterita à fine triū dierū: hoc est in die 10. mēsis primi. nā ille dies erat statim ex fine triū dierū p̄dictorū à Iehosua p̄mulgātē in Sittim, adhuc tres dies & transibitis Iordanē. Illo itaq; die decimo p̄fecti monuerūt populū vt seq̄entur arcā: mane c̄m illius diei facta est hęcmonitio. Et p̄ceperūt populo dicēdo: quādo videritis arcā federis domini dei vestri & sacerdotes leuitas portat̄e cam, roubimini de loco vestro & ibiū pos̄ illā. Quāvis area in itinere cōsuecerit p̄cedere populū, nō tamēsic p̄cedebat vt esset penit⁹ prima in itinere, sed multi ibant ante illā. & propterea ad tollendū in hoc transitū iordanis talis multitudinis precessionē, monetur popul⁹ vt null⁹ p̄cedat arcā, sed oēs sequantur eā. Sitq; inter vos & arcā spatium circiter duorum milliarū cubitorū: ut procul magis videre possitis & nosse per quā viā ingrediāmini. Iuxta hebreū habetur. Nō appropinquabitis ei vt cognoscatis viā per quā ambuletis. Si ap̄ p̄quafacet multitudō arcæ, impedita fuisse visio arcæ ab vniuersis legi-

## IEHOSVÆ

legionibus populiū ordinatē progredientium occupando magnam terrę latitudinem: sed distante arca per duo milia cubitorū ab vniuersa multitudine , vniuersa capita progradientiū videre poterant, qua via vnicuique incedendum esset sequendo semper arcā. *quia prius nō ambulastis per eā.* Iuxta Hebræum habetur. *quia non transiſtis perviā ab heri & nudiuſtertiis.* Ratio dictæ cautelæ redditur disparitas huius viæ quanuis exigua & aliarum . erant enim ibi fortè ex exuberantia Iordanis multa loca immeabilia: & propterea opus erat ut præcedentem arcā à longe viderent & eligeret quodlibet vexillum propriam viam meabilem, nec aberraret à sequela arcæ. Est itaque sensus quod diu est, quod per similem viam non ambulastis , quod ista viā non est similis viæ solitæ ab heri & nudiuſtertiis , hoc est præteritis diebus. *Dixitq; Iehosua ad populum, sanctificamini: cras enim faciet dominus inter vos mirabilia.* Præpostero ordine narrantur gesta, nam die uno Iehosua monuit populum vt munident corda sua præparando se ad susceptionem Dei in stupendo miraculo die craftina. *Et ait Iehosua ad sacerdotes, tollite arcā fœderis & præcede populum: qui iussa complentes tulerunt arcā, & ambulauerunt ante populum.*

**D**ixitq; dominus ad Iehosuam, hodie incipiam exaltare te coram omnī Israēl: ut sciāt quod sicut fui cum Moſe sic ero tecum. Hæc est secunda reuelatio facta Iehosuæ, die decimo primi mensis quo trāsierunt Iordanem . Nec reuelatur modus tranſeundi : quoniam prima reuelatione fuerat ei manifestatus, & ipse iam die nono prædixerat populo, cras faciet dominus mirabilia. sed reuelatur ei tum magnificatio propria coram populo, tum modus quo sacerdotes portantes arcā progrederentur dicendo. *Et in precipiis sacerdotibus qui portat arcā fœderis dicēdo, cum ingressi fueritis partem aquæ Iordanis state in ea.* Clarius habetur in Hebreo. *Cum ingressi fueritis usque ad extrellum aquæ Iarden, in Iarden stabitis.* Ecce modus progrediendi: videlicet quod sacerdotibus portantibus arcā ingressis extrellum non solum aluei, sed aquæ Iordanis (ita ut pedes in prima extremitate aquarum teneant) sisterent ibidem. Quod intellige donec aquæ Iordanis, descendentes deficerent, & superiores seipſas continebent: quod ferè statim perfectum est, & sacerdotes progressi sunt

## CAPVT III.

7

funt ad medium Iordanis locum iam siccum.

Dixitq; Iehosua ad filios Israēl: accedite huc, & audite verbum domini Dei vestri . Mane diei decimi fuit hic sermo. Et rursum. Iuxta Hebræum habetur. *Et ait Iehosua.* Prius dixit accedite & audite: postq; verò accesserunt, dixit subiecta, videbile et videbūt mirabilē effectū in quo manifestè cognoscetis diuinā præsentiam. in hoc, inquit, scietis quod dominus viues in medio vestri. Iuxta Hebræum habetur. in hoc cognoscetis, quod El viues in medio vestri: & expellēdo expellet à facie vestra Chenahaneū & Chithheum, & Hinneneū & Perizeū, & Gihagenum, & Enoreum, & Iebuseum. Nominat Deum El, à fortitudine divina cognoscenda ad debellādos chananæos: viuum autem ad differentiam idolorum quæ colebantur à gentibus: manifesta enim opera viuentis Dei viſuri erant. Ecce arcā fœderis domini totius terre trāſit ante vos in Iarden. Nō habetur hic aliquod dei nomē: sed propriè scribitur domini vniuersæ terra, ad significādū quod ille qui veneratur in arca illa, est dominus nō solum Israēlis & terre Chananeorum, sed omnis terræ. Parate duodecim viros de duodecim tribus Israēl, singulos per singulas tribus . Mandat Iehosua ut ex qualibet tribu tollatur vir unus, ut sint comites sacerdotum portatiū arcā domini, & singillatim videant etiam modum miraculi. Vnde & in Hebreo non dicitur parate: sed dicitur. Et nunc tollite vobis duodecim viros, virum unum, virum unum per tribum. decreuit enim ut tunc assumerentur duodecim viri tanquam comites sacerdotum & arcæ vice duodecim tribuum Israēl. Et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes. Legendum est. Et erit, cum quiescent platiæ pedum sacerdotum. Manifestè prædicti modum miraculi: ut diuulgetur in populo, & lati ac securi profiscantur laudādo Deū. portantiū arcā fœderis domini Dei totius terra in aquis Iarden. Iuxta Hebræum nullū Dei nomen habetur: sed Adon(hoc est domini) omnis terræ, ut superioris dictum est. aquæ Iarden deficient, aquæ descendentes desuper: & stabant acerbo uno.

**E**t fuit, cum moueretur populus de tentoriis suis ad trāſcundum Iarden, sacerdotes portabant arcā fœderis ante populum. Ingressisq; in Iarden & pedibus eorum in extremo aqua tinctis (Iordanis autem ripas aluei sui tempore messis impluerat) steterunt aquæ descendentes in loco uno. Ad declarandum Iordanem tūc

non

## IEHOSVÆ

non caruisse exuberantia aquarum, interponit author tam fuisse abundantiam aquæ in Iordanæ ut repleuerit omnes ripas, nō impetu vnius diei, sed omnibus diebus mes- sis: comprehendendo sub messe hordeaceam messem quæ prior est triticea. erat enim tunc tēpus messis hordeacea cū esset decimus dies primi mēsis. & instar mōtis intumescētes apparebant procul ab urbe quæ vocatur Edom usq; ad locū Zarhan. Iuxta Hebræum nihil dicitur de apparentia (sed interpres expotoris officio fūctus est) sed habetur. elōgando valde ab Adam urbe quæ ex latere Zarhan. describitur siquidē tumor aquarum superiorum nō ad instar mōtis, sed ac rui vnius longi valde: ut pote ab urbe Adam quæ erat iuxta superiorē partem Iordanis. Ita quōd sensus est quōd a ceruis seu tumulus aquarū superiorū extendebatur usq; ad locum Iordanis superiorē, qui erat iuxta urbem Adam. hoc enim secundū planū sensum significat litera Hebraica dicens: & steterūt aquæ quæ descēdebāt desuper, steterūt aceruo uno, elōgando valde appositiū ab Adā urbe quæ ex latere Zarhan. Magna enim elōgatio acerui explicatur ex elōgatione terminata desuper ad urbem Adā. quæ autē inferiores erāt, in mare solitudinis quod nūc vocatur mare mortuū descendērūt usquequo omnino deficerēt. Parui refert qđ Hebraicē loco maris mortui habetur mare salis. In idem enim dredit. multis enim nominib⁹ lacus ille appellatur in quo aqua Iordanis absorbetur. populus autē incedebat cōtra Iordanē. Iuxta Hebr. habetur. populus autem transiūt ē regiōne Iericho Manifestatur per quam partem fluminis transfierunt ipsum: videlicet quæ est ē regiōne Iericho. Et sacerdotes qui portabant arcam fidei dōmini, stabant super sicca humum in medio Iordanis accinēti. Iuxta Hebræum habetur. in medio Iarden preparando. Duo hinc habentur. alterum quōd sacerdotes portantes arcam progressi sunt usque ad medium Iordanis postquam aquæ incisa sunt: alterum quōd in medio Iordanis firmiter manserunt ad reddendam viam per alueū Iordanis siccam, donec uniusversus populus transtiret: hoc enim significatur cum dicitur præparādo. & totus Israēl transibat per siccu, donec transisset toti gens Iarden.

CAP.

## CAPVT IIII.

3



Vibus transgressis dixit dominus ad Iehosuam. Elige duodecim viros per singulas tribus: & præcipere eis, ut tollant de medio alio Iarden, vbi steterint pedes sacerdotum præparantium duodecim lapides, quos posnetis in loco castrorum vbi fixeritis nocte tentoria. Vocabantque Iehosua duodecim viros quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus: & ait ad eos, ite ante arcam domini Dei vestri ad medium Iarden: & portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris iuxta numerum filiorum Israel, ut sit signum inter vos. Et quando interrogauerint vos filii vestri cras, dicentes quid sibi volunt isti lapides: respondebitis eis quod defecerunt aquæ Iarden ante arcam fidei domini cum transiret ipsum: ideo positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in aeternum.

Fecerunt ergo filii Israel sicut eis præcepit Iehosua, portantes de medio Iarde duodecim lapides (ut ei dominus imperauerat iuxta numerum tribuum filiorum Israel) usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. Si isti duodecim viri non essent diuersi ab illis duodecim in præcedenti capitulo electis ante ingressum in Iordanem, non diceretur post egredium populum de Iordanē tollite ē populo duodecim viros. sed illi comites erant sacerdotum; isti autem iam trasierāt, & præcipitur eis ut eant ad locū coram arca Dei &c. Alios quoq; duodecim lapides posuit Iehosua in medio Iarde sub loco vbi steterāt pedes sacerdotū portanti arcā fidei & fuerunt ibi usque in presentem dicim. Quoniā Hebraicē scribitur quod Iehosua istos duodecim lapides erexit, significatur quod non qualitercunque disposuit ibidem lapides istos, sed erectos, simul iunctos ac fixos ibidē locauit, ut perseverarent ibi ad perpetuā memoriam quod ibi steterūt pedes sacerdotū portatiū arcā dei. Et hinc cōsequēter habetur quod lapides isti erāt lōgi ac grādes: & quod per multos viros fecerit Iehosua portari illos, ac erectos simul figi ut se mutuo tuerētur. & propterea op⁹ hoc in litera attribuitur nō illis duodecim viris, sed Iehosuę principi populi. Sacerdotes autē qui portabāt arcā fidei stabāt in medio Iarden donec omnia cōplerentur que Iehosua ut loqueretur ad populu præcepérat dominus & dixerat ei Moses. Legendum est, donec consummaretur omne verbum quod præcepit Iehonah ad Iehosuam ut loqueretur ad populu, sicut omnia quæ præcepit Moses Iehosua. Aduerbiū, sicur, refertur ad

## I E H O S V A E

verbum loqueretur. Et est sensus: ut Iehosua loqueretur ad populum omnia verba Dei ad ipsum, sicut loquebatur ad populum omnia precepta Mosis ad ipsum Iehosuam. Et per hoc manifestatur quod Iehosua tam securè loquebatur ad populum diuina ad eum verba, sicut indubie & securè loquebatur quae audierat à Moysi significatur enim clara reuelatio diuina & indubie percepta ab ipso Iehosua. Et festinaverunt populus & transferunt prius descripsit transitu populi, per Iordanem: & modò describit modum transeundi, vide licet festinanter. Cumq; transissent omnes, transiit & arca domini: sacerdotes quoque pergebant ante populum. Legendum est, & sacerdotes ante populum. alia siquidem sententiæ est describens ordinem progressus populi post transiit Iordanis: videlicet quod sacerdotes portantes arcam domini prædeabant populum. Filii quoque Reuben & Gad & dimidia tribus Menassis armati præcedebant fratres suos Israël: sicut locutus fuerat eis Moses. Ad ordinem progrediendi spectat hoc: describitur enim quod tam in transitu q; in progressu Reubenitæ cum Gaditis & dimidia tribu Menassis ibant ante populū Israël. Circiter quadraginta millia pugnatorū, per turmas & cuneos incedebant, per plana atque campestria urbi Iericho. Iuxta Hebreum habetur. transiit ante dominum ad præium ad campestria Iericho. Describitur quod illa quadraginta milia armatorum ibant ante arcā Domini post transitum Iordanis: ita quod ordo progressus erat ut primum isti armati, deinde arca Domini, & tertio populus incederet.

In die illa magni ficiavit dominus Iehosuam coram omni Israël: & timuerunt cum sicut timuerat Moysen dum adhuc viueret. Iuxta Hebreum habetur. omnibus diebus vita eius. Et pronomen eius, demonstrat Iehosuam: significatur enim magnificatio tam efficax, ut populus quemadmodū Moysen timeret Iehosuam omnibus diebus vita ipsius. Dixitq; dominus ad Iehosuam: præcipe sacerdotibus, qui portant arcam testimonij, ut ascendant ex Iarden. Qui præcepit ei dicens, ascendite de Iarden, iam bis in hoc capitulo clare vides prius descriptam fuisse rem gestam, & postea interiectis nonnullis describi modos rerum gestarum. nam descriptus prius fuit transitus arcæ, nūc autem describitur modus quo arca transiit: videlicet præcipiente Deo Iehosuæ, & ipso Iehosua præcipiente sacerdotibus.

## CAPVT V

dōtibus. Cūmque ascendissent portantes arcā fideiis domini de medio Iarden, & siccum humum calcare capiſſim. Non quod in loco non siccо pedes habuissent quandiu substiterunt in medio Iordanis. sed terra solita perseverare in siccitate significatur nomine siccī, ad differentiā aluci Iordanis soliti manere sub aqua, reuersæ sunt aquæ in aluem suum, & stuebat sicut ante conuenienter.

**P**opulus autem ascendit de Iarden decima die mēsis primi proculdubio mēsis in quo celebratur pascha. & castrametati sunt in Ghilgal contra orientalem plagā urbis Iericho. Iuxta Hebreum habetur. in extremo orientis Iericho. hoc est in extrema parte territorii urbis Iericho versus orientem. Duodecim quoque lapides, quos ex Iarden sumperabant, posuit Iehosua in Ghilgal. Et dixit ad filios Israël: quid interrogauerint filii vestri ras patres suos, dicēdo quid sibi volunt lapides isti? docebitis eos dicēdo, per arētū alucum transiit Israël Iarden istū: sicutante domino Deo nostro aquas eius in respectu nostro donec transiremus, sicut fecerat prius in mari rubro q; siccauit donec transiremus, ut discesserent omnes terrarū populi fortē esse manum Dei, & ut vos timeatis. Deum vestrum omni tempore.

## CAPVT V.

**O**stquam ergo audierant omnes reges Emorcorū qui habebabant ras Iarden ad occidentalem plagam, & cūcī reges Chenahanei qui erant iuxta mare quod successerat dominus aquas Iarden corā filiis Israël donec transire: dissolutum est cor eorum, & non remansit in cis spiritus timentium introitum filiorum Israël. Legendum est. à facie filiorum Israël. clarior enim est litera, & sensus planior.

Eo tempore ait dominus ad Iehosuam: fac tibi cultros lapideos. Iuxta Hebreū habetur. cūlros acutos. Nec sis ita rudiis ut intelligas tunc efficiendos nouos gladios, sed tūc acuedos. & circuncide secundo filios Israël. Iuxta Hebreū habetur. & reuertere circuncide filios Israël. Et est sensus circuncide filios Israël non omnes simul, sed primū vnā partem & secūdo alterā partem. Et est ordo literæ: reuertere secūdo & circuncide filios Israël. In prōptu autē ratio est reuertendi secundo ad circuncidendum filios Israël (nō in eisdem sed diuersis personis) ne tāta multitudo simul affecta dolore vulneris esset. Et fecit sibi Iehosua cultros acutos: & circuncidit filios Israël in colle præputiorum. Collis ille à præputiis denominatus est.

Hec autem est causa secunda circuncisionis. Non habetur in B Hebreū.

## IEHOSVÆ

Hebræo, secundæ, sed duntaxat. Et hoc propter quod circumcidit Iehosua, subiuncta enim causa huius generalis circuncisionis demonstratur: *tous populus qui egressus est de Aegypto, masculi omnes viri bellatores mortui erat in deserto in via, quādo egressi sunt de Aegypto, qui omnes circumcisiti fuerant: populus autem qui natus est in deserto quando egressi sunt ex Aegypto, non fuerat circumcisus.* Aduerte prudens lector, quod tria masculorum genera litera manifestat, primum egressorum de Aegypto, qui omnes circumcisiti fuerant, sed hoc distinguitur in duo genera: videlicet in viros bellatores, hoc est numeratos iuxta montem Sinai à viginti annis & supra. & hi omnes mortui erat tempore transitus Iordanis præter Iehosuam & Chaleph. Aliud vero genus circumcisorum egressorū de Aegypto continebat omnes masculos qui tempore numerationis nō erant viginti annos: qui nō erant mortui, sed erat viri perfecti in transitu Iordanis. Tertiū autem genus erat masculorū natorū post egressum de Aegypto. & hos solos oportuit circumcidere, quia non fuerat circumcisi in via. Ratio autem quare non fuerint circumcisi in via redditur, quia nesciebatur quādo colūna nubis profectionē imperaret. nouiter enim circumcisis motus nocet. Nam quadraginta annis ambulauerunt filii Israël per desertū, donec consumeretur omnis generatio virorum bellatorū, qui egressi erant ex Aegypto, qui nō audierant vocē dominis: quibus iurauerunt ut ostenderet eis terram lacte & melle manātem. falsa est litera, nā iuxta Hebræū habetur, quibus iurauit dominus quod nō ostenderet eis terram super quam iurauit dominus patribus eoru, ut daret nobis, terrā fluentem latē & melle. Cernis hīc prudens lector, quām contraria veritati sit quandoque vulgata editio, nam oppositum habet Hebraica litera, & sensum quadrantem libris Mosis. Horum filii in locum patriū successerunt & circumcisiti sunt à Iehosuā, quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumcidet. Postquam autem omnes circumcisiti sunt, manserunt in eodem castrorum loco donec sanaretur. Dixitque dominus ad Iehosuā hodie abstulit opprobrium Aegypti à vobis iuxta Hebreum habetur, hodie resoluisti opprobrium Aegypti à vobis. Et est sensus, hodie reuoluti in laudem & gloriā vituperationem seruitutis & ignominiae quā passi estis in Aegypto. Et attribuit De⁹ hāc reuolutionē hodierno diei quo est perfecta circumcisio, nō ratione solius circumcisionis, sed ratione inchoatæ possessionis tetra promissæ Abrahæ, Ishac & Iahacob, profiteſt̄ īā per circumcisionem uniuerso Israële fidem Abrahæ. Ita quod hodie

## CAPVT V.

18

demost̄at diē vtriusq; simul & initii possessionis, & assimulationis ad Abrahā vniuersi Israēlis. Verē enim tunc reuoluti opprobriū in gloriā: & quod diurna in Aegypto habitatio ac oppressio incredibile reddiderat, immō in opprobriū Isra: litice gētis reddiderat, Deus adimplēdo promissa Abrahæ. If hac & Iahacob, illo die reuoluit in laude & gloria, oppresso siquidē Israēle in Aegypto, exprobribatur eis gloria quā diuulgauerat se esse habituros à Deo promissam patribus. Vocatumq; est nōmē loci illius Galgalā vñj; in praesentē die. Corruptū est vocabulum istius loci, dicendum esset, Ghilgal. à reuolue lo siquidē locus ille nominatus est: eō quod Deus dixit tibi, hodie reuolui opprobrium &c.

**M**aneruntq; filii Israël in Ghilgal: & fecerunt Pessach quartadie mēsi ad vesperū in cāpēstribus Iericho. Hoc est tertiu pašcha, nā primū in Aegypto, secundū iuxta montē Sinai, & tertiu in Galalis celebratū est. & comedērūt de frugibus terræ die altero & azymos panes & polentā eiusdē anni. Legendum est, in crastino pašchæ infermetata & tosta, in ipso die. Recole legis p̄ceptū esse quod ante oblatū homē granorū ex spicis nulli has erat edere de nouis frugibus terræ. & quia homē granorū offerebatur Deo in crastino pašchæ, ideo narratur in litera q; in crastino pašchæ comedērūt de frugibus terræ tū Azymos panes, tū tosta grana quæ interpres appellāt polentā, post oblationē siquidē factā Deo comedērūt hæc. Deficitq; mān. Iuxta Hebr. adiūgitur, in crastino, ita quod tertio die ab immolato pessach cestauit manaa: hoc est non prouidit Deus amplius illis mānā: postquā comedērūt de frugibus terræ Chinhān anno ipso.

**Q**um autē esset Iehosua in agro ciuitatis Iericho, levauit oculos, & vidit virū stante cōtra se euaginatū tenentem gladium perirexī, ad eū. Visio corporalē fuit ista, quem admodū viderat Moses rubū ardētē, in specie siquidē viri armati apparuit angelus ē regione ipsius Iehosuā stans. Et quia non fit mentio aēris, sed quod Iehosua iuit ad eum, insinuatur quod apparuit stas in terra, & ait cī, nōst̄ es an ex aduersariis? Qui respondit nequaquam, sum ex aduersariis, sed sum princeps exercitus domini. Ex eo quod Dani. 10. dicitur q; Michael est princeps gentis Iudeorū, rationabiliter infertur quod iste angelus fuit Michaēl archangelus. fatetur enim

B ii fe effe